

siemus. Quæ pax recepta fuit per Alexandrinorum Legatos Guidonem Ploanam, seu (ut existimo) Ploveram, & Johannem Ardigum, aliisque pro republicis suis recipientibus (2). Quare pace in hunc modum cum Federico composita Cæsar, ut rem gratam faceret Alexandrinis ipsis, maximo verborum apparatu palam collaudatis, fortesque viros appellando, ut infamiam, quam sub Alexandria receperat, tegeter, edixit ipsis Alexandrinis specialiter, uti omnes cives, qui quatuordecim annos excederent, & septuaginta non attingerent, fidelitatem sibi, atque Henrico suo filio Romanorum Regi jurarent, quodque tam masculi, quam feminae ab urbe exirent, & tamdiu extra eandem moram facerent, quoad per ipsius Legatum solemniter introducerentur, ut actu isto & ille dare, & hi accipere de Imperatoris manu urbem, quam propriis armis viriliter tutati fuissent, viderentur. Atque ut in posterum mutato nomine Alexandriae Cæsaream appellarent; Consulesque annui munus hoc a Cæsare, si quando in Italia esset, habere procurarent, sin minus ab ejus vicesgerente, quem ubi in Italia non haberet, quinto quoque anno in Germaniam Legatos transmitterent; ita ut omnino munus hoc ab Imperatore peterent, bellum, pacemque Federici nutu, atque adeo arbitrato administrarent; quos defendere ab alieno imperio, majoribusque viribus promisit. Legatum semper in urbe haberet jurisdictioni gratia in litibus gravioribus, qui una cum Consulibus civitatis, quos civitas ipsa elegisset, judicia exerceret, Reipublicæ curam gereret, portorium pontis Tanari, ac reliqua vectigalia publicanis ad id institutis exigeret. Nuntii his rebus tractandis, & perficiendis Magister Anselmus Conzanus, & Theobaldus Vasonus, qui cum Alexandriam pervenissent, & quidquid gestum esset cum Imperatore exposuissent, Alexandrini paucis mutatis, jussa Imperatoris, ne ipsi soli inter alios Lombardiæ populos pacis, & quietis turbatores esse viderentur, receperunt; parereque mandatis prædictis promiserunt, hoc uno excepto, quod nomen urbi, ut mutarent nullo modo induci potuerunt. Remanet etiam nunc nomen, & officium quatuor Consulium civitatis, qui inter cives jus reddunt, quos civitatis generale consilium fortibus ex pixide deducit. Ii jurisperiti sunt, & de Collegio civitatis; cetera pene obsoleta.

(1) *Extat apud Schiav. ad h. a., & locus, quo fœdus percussum est, sic notatur: Actum in Cæsarea feliciter. Amen.*

(2) *Est relata in par. I. doc. 64. col. 81.*

MCLXXXV. Die ultimo septembris Alexandrini, cum cernerent Marchiones Montisferrati sibi maxime infensos esse, continueque insidias tendere, Casale s. Evassii intempesta nocte aggressi sunt; sed cum conatus eorum minime succederet, ac irritus fieret, cum permoniti fuissent Casalenses, maximam partem oppidi incenderunt, quod incendium ad Canonicam usque Ecclesiæ pervenit; dein pedem retulerunt.

MCLXXXIX. Consules Genuenses fœdus iniierunt cum Alexandrinis, & Astensibus, ut Domicellam uxorem Marchionis Alberti ab Incisa de-

bellarent, quæ per summum scelus Anfaldum Bonferium, & Henricum Bentisalvam ad Philippum Galliae, & Ricardum Angliæ Reges, & ad alios Principes ultramontanos destinatos in legatione pia, & christiana proficiscentes, ut illos hortarentur Januensium nomine ad suppetias ferendum terræ sanctæ in itinere intercepti; sed cum illa cuperet, ut pecunia captivitatem redimeret, interim eisdem carceri mancipatos retinebat. Comparato igitur maximo exercitu, hæc tantis apparatibus perterrita, Legatos incolumes abire permisit, qui cum diligenter, & commode legationem suam obirent, Minoricarum Regis, & aliorum Principum animum ad auxilium ferendum induxerunt (1). Saladinus enim Hierosolimis triennio antea occupatis, ad cætera oppida, & urbes Syriæ oppugnandas properabat.

(1) Pro succursu sociæ Præfetti consules miserunt legatos ad Philippum Regem Francorum, & Ricardum Regem Angliæ, & aliis Baronibus, & Principibus ultramare . . . quos instinctu diabolico cœperunt, & ad redemptionem coegerunt. Donexella uxor quondam Alberti Marchionis de Incisa, & filii ejus, contra quos exercitum paravit civitas Januæ cum Astensibus, & Alexandrinis, qui tandem coacti reddiderunt legatos. *Cassari ann. R. I. Scrip. T. VI. ad h. a.*

MCLXXX. Sexto Calendas octobris cum ob diversa dissidia valde respublica Alexandrina discordaret ab oppido Masii, & Astensibus, factum fuit fœdus horum trium populorum, intercedente pro Alexandrina republica Oberto Natta, Anselmo Cuppa, pro Astensi Vermo Cavalerio, Marchisio Cavigia, & Vermo de Ast; pro Masio Gilio Croffa, Vermo Felice, & Trincho Consulibus, & Legatis. (1)

(1) *Est apud Schiav. ad h. a.*

MCLXXXI. Indictione nona, die decimo tertio septembris, quia multum ex re monachorum s. Salvatoris Papiensis civitatis erat, Johannes Abbas ipsius Monasterii Monachorum consensu donationem fecit Ganducio Consuli Alexandrinæ urbis, quartæ partis vectigalis Basalutii oppidi insignis, quod alias Basaregutium appellabatur, una cum vectigali Fresonariæ; quodque nemo in dictis oppidis possit portorium aliquod exigere, vectigalque excutere, nisi ipsi Abbati, & Reipublicæ Alexandrinæ placuisset; & contra dictus Ganducius nomine reipublicæ promisit vias bonas; liberas manutene a latronum incurfu. Documentum inde susceptum fuit Ticini in claustrum Monachorum s. Salvatoris (1). Eodem anno Henricus Imperator, ut magis rempublicam Alexandrinam ad se alliceret, aliam quartam partem dicti vectigalis Alexandrinis remisit, nuntio Imperatoris ad id intercedente Thoma Castellano Novarum, & pro republica Alexandrina Oberto Spandonario, Ruffino Garibaldo, Manfredo Valentia, Oberto Moitio, Armano Sacco, Anfusso de Tracono, Opizzone Stanco, Gulielmo Platone, & Ganducio intercedentibus (2). Eodem anno die quarto mensis augusti Consulibus, quibus supra, & præter eos Murrus Puthus investituram fecerunt de castro, & jurisdictione Pon-